

quibus sese sistere, & sua exponere dubia, debuit. Auditus est magna cum patientia, cumque nihil haberet amplius, quod ad datas regerere posset responsiones, errorem suum abiecit, quem & publice revocavit, & deprecatus est. Formulam quaestionum, ad quas publice respondere debuit, conscripsit Venerandus Senex D. D. Sam. Schelgwigius, qui Iuuenis etiam meminuit in Synopsi, Art. XXI. Quaest. II. p. 201. sq.

§. XLVII. *ESAIAS STIEFELIUS*, Civis Salzensis, in Thuringia, sub initium superioris saeculi, Fanaticorum erat coryphaeus. Ter ob errores in vincula coniectus, simularata semper Palinodia, in libertatem semet vindicare tentavit. Primum Salzae, iussu Senatus Ecclesiastici Lipsiensis, in custodiam traditus est, cuius incommoda, quae per integrum annum expertus erat annum, cum ferre amplius haud posset, spem alicuius emendationis fecit. Postulabat vero Ministerium, ut sua subscriptione ratam haberet Stiefelius, refutationem articulorum, quos Lipsiae professus erat. Ambigua quidem, ut sunt istiusmodi homines λόξιοι, explicatione expedire se conabatur, sed claram, apertamque, confessionem detrectabat. Quod ipse scribit Arnoldus P. III. C. IV. §. 13. p. 35. A quo tempore cum durius haberetur, nec spes eluctandi ex carcere superesset, in retractationem tandem consensit, cuius formulam M. Melchior Thilesius, istius civitatis Antistes summus, confecerat. Sed vix dimissus, cum tota familia Erfurtum abiit, antequam publicam, qua se obstrinxerat, deprecationem praestaret. Proh levitatem! homine quocunque, nedum viro tantae sanctitatis, indignam. Hanc tamen ita excusavit, Stiefelium quidem subscripsisse formulam, ab hominibus mendacibus factam, non autem Christum, in Stiefelio habitantem, cui lex nulla data sit. Acta huc pertinentia Christianus edidit Thomaeus, P. I. Hist. Sap. & Stult. p. 140. & ex eodem Arnoldus l. c. Uterque vero ea modo selegisse videtur, quae in Stiefelii commendationem faciunt, & Ministerio ἀπιστίας & impietatis, conciliare notam possunt. Praeterlapsis aliquot annis, Ezechiel Meth novas dabat turbas, quibus Stiefelium implicitum esse, non vana erat suspicio. Abductus igitur cum aliis Dresdam, inque carcerem coniectus, pro more